



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XXVII. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

bus, & est inter eos locus præventioni, ita tamen ut punitio ab uno Judice facta in suo foro impedire non possit, quo minus alter in suo foro quoque eundem puniat. Abb. *in c. fin. h. t. num. 9.* Sanch. *L. 2. mor. c. 32. num. 37.* Farin. *l. c. q. 30. n. 39.* Barb. *l. c. & quòd, si Judex Sæcularis negligens sit in puniendis blasphemis, possit ad id compelli*

à Judice ecclesiastico juxta *c. 2. h. t.* potestque etiam Judex ecclesiasticus per se non punire Judæum blasphemum, si Judex Sæcularis in hoc negligens esset, vel etiam si Judæus esset sub temporali jurisdictione Judicis ecclesiastici, aliàs non, Farin. *l. c. n. 40. q. 41.* Pirh. *n. 14.*

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

Quest. 401. Clerici censurati violantes censuram quâ pœnâ afficiuntur?

R Esp. Primò: Clericus degradatus verbaliter, hoc est, perpetuò remotus ab ordinibus & gradibus ecclesiasticis propter crimen, si actum Ordinis aut officii, à quo depositus, exerceat, vel in eo ministret, est ab Ecclesia abscondendus, prout statuitur *c. 1. h. t.* id est, excommunicandus, seu à communione fidelium & participatione Sacramentorum separandus, ut Host. *in cit. c. 1. v. abscondatur.* Abb. *ibid. num. 1. & 2.* Pirh. *h. t. num. 1.* & licet *cit. c. 1.* non fiat mentio, nisi de Episcopo, Presbytero, Diacono, extendit se tamen hæc pœna ad Clericos constitutos in Ordinibus minoribus juxta *c. 2. h. t.* & Arg. *c. cum non ab homine. de judic.* Host. & Abb. *l. cit.* cum Gl. *in idem. c. 1. v. Diaconus.* Item extenditur ad injuste depositos, nisi priùs restituti sint. *c. Episcopus. 11. q. 3.* Secus tamen esset, si dicta sententia degradatis lata fuisset contra ordinem juris, cum tunc sit nulla. *can. si quis. 2. q. 6. v. 1. de sent. & re judic.* Gl. *ad cit. c. 1. v. juste.* Host. *ibid.* Pirh. *h. t. num. 2.* Requiritur tamen, ut præcedat monitio; juxta *c. sacro. de sent. excomm.* Alexander ad Abb. *l. cit. lit. B. Pirh. num. 1.*

2. Resp. Secundò: Multò magis Clericus degradatus actualiter & solemniter, hoc est, ab Episcopo junctis sibi aliis sex Episcopis vel suspensus ab officio perpetuò, si ab Episcopo in actu sibi prohibito ministrare non desistat, excommunicatur ipso jure, uti & alii cum eo communicantes, etsi excommunicatione minore *c. cum excommunicato. caus. 11. q. 3.* & ibi Gl. *v. statim,* & si non destiterint communicare cum eo, etiam excommunicatione majore. *c. cum in dubiis. & c. ult. h. t.* junctâ Gl. *observandum.* & si hæc contemplerit, & Episcopus eum corrigere non potuerit, invocandum est brachium sæculare. *c. 1. de Off. Jud. ordinari. c. nec licet. dist. 14.* utraque enim potestas ecclesiastica & Sæcularis se invicem adjuvare debent *c. 2. de maledictis.* & si Magistratus Sæcularis requisitus adjuvare noluerit, ad id compelli potest, Gl. *in fin. ibid.* & Host. *v. quod si aliquis.*

3. Resp. Tertiò: Clerici excommunicati, vel suspensi, vel indirecti divina officia celebrantis est depositio perpetua ab officio & beneficio, non quidem ipso jure inflictâ, sed per sententiam Judicis inferenda. *c. Clerici. h. t.* & ibi Host. Anchoran. Barb. & alii. Et quamvis textus hujus *c.* loquatur de solis excommunicatis & interdictis, extendendum tamen etiam ad suspensos ab officio cum Gl. communiter recepta *in cit. c. Clerici moniti.* tradunt Pirh. *num. 4.* Reiffenst. *num. 2.* & alii,

potestque Episcopus iis hanc pœnam statim infligere absque ulla monitione prævia, ut cum *cit. Gl. Abb. num. 2.* his non obstante, quòd in *cit. c. Clerici* dicitur: *Nisi moniti sine dilatione redierint;* cum per hoc aliud non indicetur, quàm quòd Episcopus possit, si velit, prius monere reum, & si is statim se emendet, ei pœnam depositionis dispensativè remittere, adeòque non necessariò præmittenda monitio. Abb. *l. c.* Pirh. *h. t. num. 5.* Reiffenst. *num. 3.* Porò circa hanc pœnam depositionis notandum, quòd, si plures essent in civitate aliqua Clerici propter earundem censurarum violationem excommunicati, suspensi, interdicti Sacerdotes, qui quasi factâ conjuratione innodati illis censuris celebrassent divina, mitiùs agendum, parcendùmque multitudini propter scandalum aliamve causam, ita ut, licet principales hujus delicti authores pœnâ ordinariâ, nempe depositionis, sint plectendi, & reliquis imponenda pœna mitior, ne, si omnes rei in perpetuum deponerentur, Ecclesia nimiam penuriam cum damno populi habeat, prout sumitur ex *cit. c. Clerici.* ubi licet quòd multitudo extendatur ad 40. pauciores tamen arbitrio prudentis, v. g. 30. in tota diocesi sufficiant, Host. *l. c.* Glossator, Abb. Alexander de Nevo. *in cit. c. Clerici. lit. C.* Notandum item, quòd licet suspensus perpetuò ab officio sit etiam suspensus à beneficio, cum, qui non potest facere officium, non debeat percipere beneficium. *c. pastoralis. de appell. in fin. Gl. in cit. c. Clerici. v. ab officio.* & Host. *ibidem.* non tamen suspensus ab officio, semper sit suspensus à beneficio, nisi sit suspensio perpetua, & ob grave delictum; secus, si sit ad tempus, vel etiam simpliciter facta sine præfinitione temporis, aut ob leve delictum, Sanch. *L. 3. de matrim. d. 41. num. 13.* Barb. *l. c. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 7. in fin.* qui proinde cum Alex. ait, tutius esse, ut in hoc puncto petatur declaratio Judicis.

4. Resp. Quartò: Insuper præsumentes celebrare divina officia in excommunicatione incurunt privationem beneficiorum ipso facto à *Canone c. fraternitati. h. t.* ita ut Episcopus solam executionem juris facere debeat. Barb. *in cit. fraternitati,* post Tiraquell. *in L. si unquam. C. de revocand. donat. v. teneantur. num. 167.* eò quod talis Clericus ipso jure sit irregularis, de quo mox, adeòque inhabilis ad obeunda munera beneficii, meritò privetur beneficiis.

5. Resp. Quintò: Excommunicatus, suspensus, interdictus actum Ordinis exercens est irregularis ipso jure, ut de suspensio constat ex *c. Apostolica. h. t. c. 1. §. fin. de sent. & re judic. in 6. c. 1. §. fin. de sent. excomm. in 6. de interdicto. c. is. cui. eod. in 6. de excommunicatione. can. si quis Episcopus. 11. q. 3. juncto c. penult. & ult. h. t.* Requiritur autem

autem ad hanc irregularitatem incurrendam primò: ut exerceat actum verum ac proprium Ordinis, qualis est celebratio missæ, collatio Ordinis, Confirmationis, administratio extremæ unctionis. Reiffenst. *h. r. n. 6.* item benedictio solennis impetrata sponfis à Sacerdote. *c. r. & c. vir autem. de secund. nuptiis.* Suar. *de censur. d. 11. f. 3. n. 18.* collatio baptismi cum solennitate, cantatio Evangelii cum stola, Epistolæ cum manipulo. Nav. *in man. c. 27. n. 244.* Sylv. *v. irregularitas. q. 13. dicto 1. §. 4.* Item Absolutio sacramentalis, quæ fit à suspensio vel excommunicato etiam vitando; eò quòd, licet utpote privari jurisdictione, invalidè absolvant, exerceant tamen actum Ordinis, quantum est in se, Reiffenst. *n. 7.* Idem est de rebaptizante, etsi baptismum nullum conferat; ut idem citans *can. confirmandum. dist. 50. can. Afros. dist. 98. c. litterarum de Apostat.* Tales autem è contra ad incurrendam irregularitatem non sunt actus solius jurisdictionis, v. g. dispensatio in votis, juramentis, absolutio à censuris facta absque stola, & aliis ceremoniis, prædicatio verbi DEI, assistentia matrimonii; quia non sunt actus Ordinis, cantatio Evangelii sine stola, Epistolæ sine manipulo, collatio baptismi privata, quia illi actus etiam à non ordinatis exercentur. Nav. Sylv. *ll. cit.* Reiffenst. *n. 6.* Secundò requiritur ad incurrendam irregularitatem, ut censuratus actum, per quem ea aliàs incurritur, exerceat temerè & culpabiliter, quia hæc irregularitas infligitur in pœnam culpæ seu peccati. Gonz. *in c. Apostolica. h. r. n. 15.* Pirh. *h. r. n. 40.* Arg. *c. si quis. 6. caus. 11. q. 3. c. 1. de sent. excomm. in 6. c. latores. h. r.* Hinc illam irregularitatem non incurrit, qui invincibiliter ignorant, se esse excommunicatos, suspensos, vel interdictos. *cit. c. Apostolica.* secus de iis, qui vincibilem, crassam seu supinam illius ignorantiam habent. Arg. *eiusdem. cap. Gl. ibid. v. probabilis.* Abb. *ibid. n. 3.* Item, qui extremâ necessitate urgente, v. g. in articulo mortis, ubi alius Sacerdos à censura immunis haberi nequit, absolvant; cum in eo casu quilibet centuratus validè & licitè absolvat, juxta Trid. *Sess. 14. c. 7.* Item qui in dictis censuris existentes ad vitandum grave scandalum vel infamiam, exercent actum aliquem Ordinis, v. g. qui ob delictum occultum in excommunicatione existens omittet exercere actum, ex cuius omissione, crimen occultum illius manifestaretur; cum leges humanæ cum tam gravi incommodo obligare non videantur. Pirh. *n. 42.* Reiffenst. *num. 12.* Item contra quos sententia censuræ lata evidenter est nulla. Pirh. *h. r. n. 44.* Reiffenst. *num. 13.* juxta *Clem. 2. §. ut igitur.* ubi universaliter dicitur: non debet is pœnam canonicam sustinere, in cuius damnationem non est canonicè prolata sententia.

Quæst. 402. *Utrum dubitans, num sit excommunicatus nec ne, stante hoc dubio exercens actum Ordinis incurrat irregularitatem?*

Resp. Pro varietate dubiorum primò: qui scit se excommunicatum, tantumque dubitat, num excommunicatio legitimè lata & valida, debet se habere pro excommunicato, & consequenter sub pœna irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abstinere, est communis & certa. Arg. *c. illud. h. r. & c. per tuas, de sent. excom.* nec juvat, si contra jam latam sententiam appellet; bene tamen, si antè contra minas excommunicationis, vel eam ferendam appellet. Arg. *cit. c. per tuas, & c. præterea*

de appell. Secundò: si dubitet de facto, se excommunicatum, seu latam contra se excommunicationem esse, eò, quòd id habeat ex rumore, de quo dubitat, num sit verus, vel etiam dum dubitat, num actum, cui certò annexa est excommunicatio, v. g. homicidium commiserit, in utroque hoc casu stantibus his dubiis exercens actum Ordinis incurrit irregularitatem. Fagn. *in c. ne innovaris, de Constit. n. 171.* Barb. *in cit. c. illud. n. 7.* Garc. *de benef. p. 7. c. 2. num. 18.* quos citat & sequitur Reiffenst. *h. r. n. 16.* & quidem quò ad casum primum, Arg. *c. illud. quò ad secundum c. ad audientiam. & c. significasti. de homicidio.* Ratio utriusque in citatis juribus contenta, pro utroque est eadem, nimirum quòd in dubio pars tutior sit eligenda, dum agitur de periculis animæ, ad quod dum Sanch. *in decal. l. 1. c. 10. n. 11. §. 64.* respondet, id ipsum esse de consilio, non autem de præcepto, non videtur satisfacere; tum quòd sacri Canones non adhibeant verba significancia simplex consilium, sed verum præceptum importancia, v. g. dum dicunt: in dubiis debemus eligere tutiorem; in dubiis debet Sacerdos abstinere à sacerdotali officio, si que teste Fagn. *l. c. n. 171.* apud sacros Canones quasi certum Axioma, quod in materia morali, ubi agitur de salute & periculo animæ, teneamur sequi tutiorem, unde etiam à *n. 191.* ait, hanc regulam: in dubio est melior conditio possidentis, solum procedere in foro judiciali externo, non etiam in morali, dum agitur de periculo animæ, vel etiam, si in hac materia procedit, Deum & legem esse in possessione, dum lex divina universaliter vult, ut in negotio animæ fugiamus peccatum; tum quòd *cit. c. illud Episcopus.* ex eo, quia in simili dubio tutiorem partem non eligit, abstinendo à divinis, de rigore juris deponi debuisset, cum ob transgressionem solius consilii deponi non potuisset; juxta *can. quisquis. 14. q. 1.*

Quæst. 403. *An irregularitatem incurrat excommunicatus non vitandus, vel in excommunicatione minore existens, aut etiam exercens actum Ordinis minoris?*

1. Resp. Ad primum affirmativè: Quia jura indistinctè loquuntur, adeoque indistinctè intelligenda. *c. quia circa. de privilegiis.* His non obstante Bulla Martini V. *ad abolendam.* utpote per quam solis fidelibus non excommunicatis, minimè verò ipsis excommunicatis favorem concedere voluit.

2. Resp. Ad secundum: Existens in excommunicatione minore non incurrit irregularitatem exercendo actum Ordinis alicujus juxta textum clarum *c. fin. h. r.*

3. Resp. Ad tertium: Centuratus exercens actum Ordinis minoris, v. g. acolytatis cum solennitate, & quasi ex officio incurrit irregularitatem. Abb. *in c. 2. h. r. n. 2.* Jo-And. *ibid. n. 2.* Host. *§. sed quisquis.* Barb. *n. 3.* Fagn. *num. 7.* Arg. *cit. c. 2.* ubi generaliter & sine distinctione inter majorem & minorem Ordinem fit hæc dispositio. Verùm limitat hoc ipsum Pirh. *h. r. n. 46.* dum ait: hanc irregularitatem non incurrit etiam irretiti excommunicatione majore, nisi faciant actum Ordinis, à cuius exercitio per censuram sunt prohibiti seu suspensi. Arg. *c. si quis Episcopus. 11. q. 3. c. 1. de sent. & re judic. c. is, cui. de sent. excom. in 6.* si tamen hujusmodi actum exercent Clerici sine solennitate,

lennitate, modo, quo eum juxta consuetudinem receptam de facto passim faciunt Laici, irregularitatem non incurrunt. Nav. *in man. c. 27. n. 242.* Sylv. *v. irregularitas. q. 27.* Covar. *in c. Alma mater. p. 1. §. 6. n. 9.* quin & existentes in excommunicatione minore, celebrando seu exercendo praevisum actum Ordinis, non peccare, sed solum propter susceptionem passivam Sacramenti, quod celebrando suscipit, tradit Pith. *l. c.* cujus contrarium est in excommunicato excommunicatione majore, quia talis est suspensus ab exercitio seu collatione activa omnium Ordinum, & non tantum a participatione passiva, seu participatione Ordinum & aliorum Sacramentorum. Abb. *in c. ult. b. t. n. 2.* Barb. *n. 4.* Suar. *d. 24. de cens. f. 2. n. 3.* Pith. *l. c.* Eius autem ligatus excommunicatione minore peccet, & quidem graviter, celebrando, aliave Sacramenta suscipiendo, ut Suar. *n. 2.* nulla tamen poena certa ipso jure est imposita propter hanc culpam, sed arbitrio Judicis vel Superioris est puniendus. Gl. *in cit. c. ult. v. peccat.* Suar. *cit. num. 3.* Pith. *l. c.* De catero excommunicatione minore ligatus exercere non prohibetur ea, quae ei ratione

jurisdictionis, tam civilis quam ecclesiasticae competunt, v. g. eligere ad beneficia ecclesiastica, obire officium Judicis; quia jurisdictionis non pertinet ad participationem passivam Sacramentorum, qua sola privatur excommunicatio major. *c. ult. de excepti.* Abb. *in c. ult. b. t. not. 2.* adeoque alia omnia ei licita sunt, quia non prohibita. Suar. *l. c. num. 4.* licet quoque eligi possit valide electione non irritanda ad dignitates & officia temporalia, ut Suar. *l. c. num. 14.* ad beneficia tamen & dignitates ecclesiasticas eligi non potest, eè quod eorum perceptione sit privatus; cum beneficium ecclesiasticum ordineretur ad Ordines suscipiendos, à quorum tamen receptione existens in excommunicatione minore est repellendus. Laym. *Theol. mor. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.* Sicut autem eligi ad beneficia, ita etiam ad ea presentari nequit, neque ea illi conferri possunt. Laym. *l. cit.* Verum de his, qualiter peccet excommunicatus excommunicatione minore conferendo beneficia, vel administrando Sacramenta, vide apud Pith. à *num. 52.* & dicenda à nobis inferius.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

Quaest. 404. Quas poenas incurrat exercens actum Ordinis, quem non habet?

1. **R** Esp. Clericus, v. g. Sacerdos simplex exercens actum episcopalem, conferendo Sacramentum Confirmationis vel Ordinis; Diaconus tantum, celebrando missam solenniter, baptizando, nuptias benedicens, quae non competunt nisi Sacerdoti; Subdiaconus solenniter cantando Evangelium, quod non competit nisi Diacono: Primò incurrit irregularitatem, vi cujus ad superiores Ordines promoveri nequit, v. g. Diaconus ad Sacerdotium, Subdiaconus ad Diaconatum, juxta clarum textum *c. 1. b. t.* ubi: non ordinetur, id est, non promoveatur ad Ordinem, quem nondum habet, nisi cum eo dispensetur; & *c. 2. b. t.* in perpetuum; non tamen fit irregularis respectu aliorum Ordinum, quos prius habuit, v. g. Diaconus celebrans respectu Diaconatus & Subdiaconatus, fit tamen suspensus ab Ordine proximè suscepto, v. g. ab usu Diaconatus, & quidem ad biennium tantum vel triennium pro arbitrio Episcopi, ita tamen, ut ulterius non duret, etiam Episcopo volente, *c. fin. b. t.* & hac suspensione nondum sublata temerè ministrans in suo Ordine, tanquam propriae censuræ violator contrahit irregularitatem obersistentem omnium jam susceptorum Ordinum exercitio. Suar. *de censur. d. 42. f. 4. n. 4.* Coninck. *d. 18. du. 6. concl. 1.* Gonz. *in cit. c. fin. n. 1.* Pith. & Wiestn. *b. t. n. 3.*

2. Requiritur autem ad hanc irregularitatem incurrendam ab exercente actum Ordinis sibi non competentis sequentia. Primò: ut probabiliter teneat Laym. *L. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3.* & plures apud illum; item Pith. *b. t. n. 4.* contrarium tenentibus, seu Laicum exercentem alicujus Ordinis actum non incurrere dictam irregularitatem. Navar. *man. 27. c. 242. in fine.* Suar. *de cens. d. 42. f. 4. n. 10.* Avila *de cens. p. 7. d. 9. du. 13. in fine.* ex ea ratione, quòd *c. 1. b. t.* loquatur generaliter

& absolute de quocunque ministrante in Ordine, quem non habet, qualis est Laicus in aliquo Ordine ministrans, quòdque gravius delinquat, qui nullo Ordine insignitus, Ordinis actum exercet, quam qui habens Ordinem exercet actum Ordinis, quem non habet, adeoque debeat hæc poena potius statui Laico quam Clerico, quod fere aliud non habent primæ sententiæ AA. quam quòd argumentum sumptum à paritate, vel etiam majoritatis locum non habeat in materia irregularitatis, sitque generalis regula juris: quòd, ubi irregularitas in jure non expressè manifesta, ea non incurratur, ut habet communissima DD. Arg. *c. is, cui. de sent. excom. in 6.* Item quòd frequentius contingat, ut Ordinatus ministret in Ordine aliquo, quo caret, quam Laicus nullum habens Ordinem, actum alicujus Ordinis exerceat, ut Laym. & Pith. *l. cit.* Posse nihilominus Laicum fingentem se ordinatum in hoc casu puniri poenâ tali non minus, quam Clericum fingentem se habere Ordinem, cujus actum exercet, docent cum Gl. *in c. 1. b. t. v. propter temeritatem.* Diaz. *in pract. crim. can. c. 12.* Pith. *cit. n. 4.* quin & ab Inquisitoribus ordinariis Laicum celebrantem missam, vel absolutionem sacramentalem impertiri attentantem, tanquam idololatricæ reum omni misericordiâ indignum judicari posse, & debere curiæ seculari tradi debitis poenis afficiendum, prout statuit tam de Clericis, quam Laicis Clem. VIII. in *Constit. sua, etsi alias. in Bullario 8.* quam Constitutionem denuo confirmavit Urbanus VIII. suâ *Constitutione. Apostolatus officium inter ejus Constitutiones 79.* auctorit. Reiffenst. *b. t. num. 13.*

3. Requiritur secundò: ut Clericus hujusmodi actum Ordinis exerceat serio, saltem quòd ad externam actionem, & non jocose, seu per modum ludicræ & scenicæ actionis, eò, quòd aliàs actum talis Ordinis non tam exercere, quam representare censetur, adeoque non eyadat irregularis. Sylv. *v. irregularitas. q. 12. limit. 2.* Nav. *l. c.* Suar. *cit. f. 4.* Bonacina *de irregular. d. 7. q. 3. p. 6. n. 1.* Pith.